COMMENTATIONIS

DE

AVCTORIBVS

QVARTAE QVAE HABETVR SACRAE EXPEDITIONIS

HISTORIAM SPECTANTIBVS

EPITOME

SCRIPSIT

LVDOVICVS STREIT

PVTBVSII CIƆIƆCCCLXIII
TYPIS AVGVSTI KNAAKII

LVDOVICVS STREIT CAROLO HOPFIO S. Te, professor amicissime, in conlegendis eis quae ad Francorum in Graecia imperium pertinent omnibus apud Italos Graecosque qui nunc sunt uersantem mente ita prosecutus sum, ut inde ab Italici Tui itineris initio mira me caperet Te comitandi cupiditas, tum autem quum scholastici quod suscepissem muneris officio me retineri sentirem uehemens reditus Tui teneret desiderium. Tibi enim quantum debeam lubentissime iam ibi professus sum, ubi primum societatis nostrae Gryphisualdensis quasi fructum in publicum emittere licuit, neque ullo unquam de quo e Germaniae finibus discessisti tempore oblitus sum, si nouum operae medii aeui historicis impertitae editurus essem specimen, id ad Te solum referendum esse. Grati igitur, uir carissime, amicique animi signum hanc ipsam commentationem esse uolo, qua grauiores scriptores recensere conabor expeditionis saeculo tertio decimo a Francis Venetisque aduersus Constantinopolitanum imperium factae historiam respicientes. Quum uero spatium disputationi meae concessum non nimis amplum sit, id agere constitui, ut explicatis eis quae maxime digna proferre possum de unoquoque auctore enucleare studeam quae potissimum rationes inter singulos intercedere uideantur, accuratiora tamen quae de hoc illoue dicenda sunt opportuniori loco relinquam eosque inprimis de quibus ipse aut exposuisti aut proximo tempore expositurus es breuissime perstringam. Quae omnia Tecum coram malueram: sed quia longior Tua fiebat apud exteros conmoratio, testificandi amoris caussa uolui per literas eadem ut haberes. Tu uero iudicium pro singulari harum rerum peritia mihi summi faciendum absenti denegare noli moxque ut speramus ad matrem redi.

Scrib. Nonis Februariis a. CIↃIↃCCCLXIII Putbusii in paedagogio regio.

Primarius in historicorum fontium numero locus ab omnibus recte tribuitur monumentis quae dicuntur siue diplomatis: qualia de quarta quidem sacra expeditione haud pauca supersunt [1]) scripta uel a nobilibus uiris, qui primas in ea partes egerunt, uel ad militum cruce signatorum exercitum. Eorum tamen mentionem hic omittere iuuat, praeterquam quod de una alteraue epistula, utpote in qua non nullorum quae conseruantur narrationes nituntur, infra aliquotiens sermo erit.

Neque aliter iudicamus poetas quosdam praetermittendos esse, qui quum expeditioni interfuissent res gestas in carminibus adtulerint, qualis praeter notissimum uirum, Rambaldum de Vaqueiras [2]), Hugo castellanus de Bersia est, cuius et „biblia“ [3]) illa uaria huc spectantia continent et singulare extat carmen, quo ad arma suscipienda exhortatur. [4]).

---

1) Huc referenda sunt pacta, quae primus Andreas Dandulus Venetus respexit, nostra aetate post Wilkenium Tafel. et Thomas typis accuratissime excribenda curauerunt (Fontes rerum Austriacarum T. XII. XIV. Vindob. 1856. 57. 8. Cf. etiam Tafel. Symbol. crit. geograph. Byzant. spectant. In act. acad. Monac. cl. III. T. V, 3, 2. (1849) p. 1. 136. Heyd, Die italien. Handelskolonien in Griechenl. zur Zeit des latein. Kaiserth. in Zeitschr. f. d. ges. Staatswissensch. XV. 1859. p. 40—82). Epistularum magnus numerus huc pertinet: ad cruce signatos plures datae sunt ab Innocentio III. (ed. St. Baluzius. Paris. 1682. Brequigny et la Porte du Theil. Paris. 1791. Tafel. et Thomas l. a.), ex illorum castris prodierunt quattuor potissimum (usque ad Balduini Flandrensis mortem) optime editae ap. Bouquet, Rec. XVIII. p. 515—524 et Tafel. et Thom. l. a. —

2) Cf. Raynouard, IV. p. 275 sqq. Diez, Leben und Werke der Troubadours. Zwickau. 1828. 8. p. 263—305.). — 3) Méon, Fabliaux et contes des poètes français des XV—XVe siècles. T. II. Paris 1808. 8. nouv. ed. de Barbazau p. 394 sqq. Hist. lit. Gall. XVIII. p. 816. sqq. Schlosser, Vincenz von Beauvais..., T. II. Frankf. a. M. 1819. 8. p. 155.

Car ie uis en Constantinoble,
Qui tant est bele et riche et noble,
Que dedenz an un et demi
Quatre empereres, puis les ui
Dedenz un terme toz morir
Del uil mort...... — 4) Cod. Vatic. 3207 fol. 46. Hist. lit. Gall. p. 640. —

Cononis de Bethuna carmina ad priora tempora pertinent (H. l. G. XVIII. p. 845 sqq.), de consilio expeditionis suscipiendae loquitur Gaucelmus Faidit (Diez. l. a. p. 370. sqq.), Reinerus de Trit iter adgressurus suis ualedicit (H. l. G. XXIII. p. 708), expeditionis certe initio adfuit Gaufridus (de Melleio) uicedominus Carnotensis (H. l. G. XXIII. p. 606), posteriores denique a. 1220 res spectant Elias Cairels et Folquetus de Romans (Diez. p. 568 sqq. 561. sqq. H. l. G. XIX. p. 492. XVIII. p. 621. sqq.). —

Epistularum igitur auctoribus illisque poetis nunc neglectis statim ad scriptores accedamus, de quibus ita exponendum est, ut primum de cruce signatis omnibusque qui eorum partes sequuntur dicamus, extrema uero parte de Graecis et horum asseclis pauca adiciamus.

Ex illorum grege Godefredo de Villa Harduini [1]) cuius commentarios (de la conqueste de Constantinople) [2]) ut superiores ita recentiores quicunque de Constantinopoli a Francis expugnata copiosius disseruerunt, Wilkenius Raumerus Hurterus alii, unum omnium abundantissimum habuerunt fontem, etiamnunc primus locus concedatur oportet. Talis enim illius ob generis splendorem uirtutem militarem ingeniique praestantiam apud suos fuit auctoritas, ut inde ab expeditionis principio singularia ei siue legati siue ducis conmitterentur negotia, quibus susceptis et caussarum condiciones et hominum potentissimorum in rebus agendis animos melius quam relicui fere omnes perspicere potuit. De quo si ea qua illius grauitati par esset diligentia disputare uellemus, singularis euaderet libellus. Itaque primo eum loco conmemorasse satis habemus aliosque infra cum eo conferemus. [3])

---

1) De eo ut taceam de aliis conferri possunt Hopfius, De historiae ducatus Atheniensis fontibus. Bonn. 1852. 8. p. 35. sqq. et Lukas, progr. Warendorf. 1860. 4. — 2) Editiones enumerare supersedemus, quippe quas bene congesserit A. Potthast, bibliotheca historica medii aeui. Berol. 1862. 8. p. 563. Ipse editione usus sum Paulini Baris. — 3) Godefredi liber ab eis accitus est, qui medio fere saeculo tertio decimo Alphonsi X regis iussu transmarinarum narrationum corpus conlegerunt (la gran conquesta de oltra mar. Salamanca. 1503. fol. cf. Ticknor, Gesch. der schön. Literat. in Span., übers. v. Julius. Lps. 1852. I. p. 40. adn. II. p. 666). Quibus simile corpus gallico sermone conscriptum adfuit, de quo pluribus infra agemus. — Eisdem fontibus nititur Balduinus Auennensis, Margaretae illius filius (u. Annal. Gandau. ad. a. 1304. ed. Pertz. Mon. Germ. hist. script. XVI. p. 591), a. 1214. natus et a. 1289. mortuus, cuius opus non nullis exemplaribus (quae noui omnia enumeraui: De rer. transmar. qui Guilelm. Tyr. excepisse fertur gall. auct. spec. Gryphisw. 1861. 8. p. 3. adn. 3.) conseruatum partim quum ab aliis (l. a. adn. 4.) tum ab eis qui rerum Gallicarum scriptores edunt (Bouquet, Recueil XXI. p. 169—181) promulgatum inspicere licet. Ad quartam sacram expeditionem quae pertinent ex Monacensi cod. in luce posuerunt Tafel et Thomas l. a. XII. p. 328. sqq. u. cens. in Zarnck. comment. lit. a. 1856. p. 425.). Quae si cum Godefredo et altero scriptore gallico conparauerimus, Balduinum intellegemus modo illius (cod. 9644 a Buchonio adhibitus maxime conspirat) modo huius uerba presse secutum paucissima de suae ipsius familiae historia adspersisse. — Godefredus de Villa Harduini patruus fuit eius, qui a. 1205. e patria profectus Moreae partem maiorem occupauit atque principatum familiae reliquit: in qua illius eximii scriptoris commentarios religiose conseruatos quum per se consentaneum est tum ea re confirmatur, quod adfuerunt homini cum principum Moreoticorum familia coniuncto, qui (1333—1346) de huius potissimum rebus gallico sermone librum conposuit. Quem librum (de la conqueste de la Morée) et inuenit (in Bruxellensi bibliotheca) et in luce conlocauit Buchonius (Recherches historiques. I. Ep. T. I. Paris. 1845. 8), qui iam ante graecum carmen politicis qui dicuntur uersibus conscriptum pluriens ediderat (Chroniques nationales franç. T. IV. 1825. Chron. étrangères...1841. Rech. hist. t. II. 1845. Partem inde repetitam in germanicum uertit A. Ellissen, Analecten der mittl. u. neugr. Lit. Lips. 1856. T. II. p. 1—109. Italica uersio continetur cod. bibl. Marc. d. VII. 712. fol. 48—94, id quod Hopfius mecum communicauit). Cui quin cum gallico opere familiaritas intercedat dubitari nequit. Qualis haec fuerit, ambigi sane potest: nec tamen grauiora ei sententiae obstant quam A. Ellissen (l. a. T. II. praef. p. XXI. sqq.) proposuit utrumque librum ad unum eundemque fontem redire (gallicum graeci fundamentum esse opinati sunt Buchon. l. a. II. p. XV. sq. et Finlay, medieual Grece. Lond. 1851. p. 159. cf. etiam Hopf. l. a. p. 72). Ac de fide quidem eius satis exposuerunt Hopf. l. a. et Finlay. l. a. p. 124 adn. p. 159. (p. 165 adn. 1: „The livre de la Conqueste becomes in some degree a historical authority of value as it approaches the times of the author“). Ad nostram caussam quod attinet, de expeditione auctor sic egit, ut non nulla quae apud Godefredum reppererat mirum in modum eis conmisceret, quae fabulae sua aetate

Praeter Godefredum militibus cruce signatis duo alii scriptores interfuerunt, quorum alter gallico, latino alter sermone usus, neuter ab ullo adhuc scrutatore historico in auxilium uocatus est. Ille, quem in bibliothecae regiae Hauniensis scriniis [1]) latere Hopfius inuenit et eius manu subtilissime descriptum inspicere mihi licuit, Robertus a Clariaco, auctor ad hoc usque tempus prorsus ignotus ut indignus sit qui in luce conlocetur tantum abest ut equidem uehementer doleam, quod eius edendi Hopfio [2]) non iam facultas data est. Nomen, quod auctor sub commentariorum exitu profitetur, familiae (de Clari) est etiam posterioribus temporibus prope Ambianos et in uicina regione florentis. Patriam Robertus satis significat duobus locis: „et li marchis [Conradus de Monte Ferrato] auoit trouué si grant kierté en le uile [Accone] que on uendoit le mesure de blé de le uile .C. besans qui ne fesist mié plus que sestier et demi a Amiens" (sect. 34. fol. 109. rect. 2.) et „[Veneti] misent le feu en le uile [loquitur de Constantinopoli] si que bien en i eut ars en grandeur de la chité d'Arras" (sect. 46. fol. 112. u. 1). Quibus cum uerbis mire conspirant Hugonis comitis a Sancto Paulo literae: „intrauerunt cum uirtuoso impetu ciuitatem, XXX. turribus lucrificatis, iuxta quantitatem Atrebate [„atturbati" codd. cf. Annal. Colon. max. ed. K. Pertz. M. G. h. XVII. p. 814] et de ciuitate non modicum combusserunt". Comes fuit Petri Ambiani, uiri nobilissimi, cuius apud Godefredum saepius mentio fit. Tanquam fortissimus omnium cruce signatorum et heros pingitur Petrus a Bracholio, Roberti popularis magnitudine corporis ac uiribus relicuos superans (cf. Nicet. p. 388, 401). Narrandi genere Robertus utitur simplici illo quidem et a quo fucus omnis et ars absit, quod tamen fidei et integritatis tot exempla praestet, ut si eum inceperis legere etiam perlegere quodam modo cogaris: quem dum modo cum Godefredo conparaueris, haud contemnendum testem esse fateberis, qualis tunc animi milites fuerint gregarii fraudumque quas nobiles conceperunt ac dolorum expertes. Exercitus autem quid senserit quibusue caussis motus sit, eius rei pluribus locis imaginem expressam esse uidemus tam uiuidam et ueram, ut Godefredus si non ipse in suspitionem cadat, at relatione certe sua inuolucro quaedam et quasi uelis obtexisse uideatur. Nihilo tamen secius huius maiores uirtutes facile agnoscemus, quum Roberto eum multo instructiorem in rerum gestarum historia eundemque a praeiudicatae quae in gregario milite non nunquam cernitur opinionis uinculis absolutum neque insolita perspicacitate praeditum fuisse intellegamus.

---

diuolgabantur: poetica autem quadam conponendi ratione res ita coegit, ut paene omnia lepidissime conuersa caussaeque in contrarium conmutatae esse uideantur. Vnum ut adferam, cruce signati nihil nisi uenia ab Innocentio impetrata fecisse dicuntur. Neuter igitur ullius est momenti liber, si quis de quartae expeditionis historia quaesiuerit. Idem de Dorotheo Monembasiensi episcopo (a. 1629) dicendum est, qui fere eadem in libro historico (ed. 1631. 1637. 1685. 1743. 1786. cf. Buchon, Chroniques étr. praef. p. XVIII. sqq.) praebet.

1) Gamle konglige samling. cod. 487 saec. XIV. ineunt. Cf. Abrahams, Déscription des manuscrits français du moyen âge de la Bibliothèque Royale de Copenhague. 1844. — 2) Is editionis commentariis instruendae consilium cepit: u. Bulletin du comité de la langue, de l'histoire et des arts de la France, institué près le ministère de l'instruction publique et des cultes. T. III. 2. Paris. 1856. 8. p. 54. —

Latinus porro „deuastationis Constantinopolitanae" auctor, cuius nomen ignoramus, de Germanica gente oriundus neque ipse nobilis breui enarratione (e cod. d. S. Marc. n. 398,[1]) de quo cf. Pertz. Arch. d. Gesellsch. f. d. aelt. deutsche Gesch. IV. p. 192, ed. Bethmann. in monum. Germ. hist. script. XVI. p. 9—12) expeditionem persequitur. Unde noua quidem tantum pauca perceperis, nisi quod accuratissimam temporum ac dierum notitiam inueneris. In quibus definiendis tantopere diligens mihi fuisse uidetur, ut unum qui falso adnotatus in editione occurrit diem confidenter adtribuam librario, cuius menda aliquot editor correxit, plura delenda restant.[2]) Legimus p. 12 cruce signatos urbem adgressos esse „in sexta feria ante passionem Domini, quae fuit Idus Apriles." Quae uerba non esse recta iam ex sequentibus adparet: „aduentum boree expectauimus. Flare cepit boreas pridie Idus Apriles." Illo igitur loco ante „Idus" uocabulum inserendum est „V", ut ad sextam ante passionem feriam, uel potius „III", ut ad passionem ipsam referre possis. Ceterum auctorem quamuis nondum cognouisset, de eius tamen fide haesitasse censendus est Otto Abelius, ut qui dubitauerit num Lutoldus episcopus Basileensis expeditionis socius fuerit (Koenig Philipp. Berol. 1852. p. 372. adn. ad. p. 199, 4). Ac petit quidem argumentum ex silentio Godefredi Guntheri chronici Halberstadensis: id quod mihi quidem non magni faciendum esse uidetur quum „deuastationis" auctori Annalium Argentinensium diserta uerba (ed. Boehmer, fontes rer. Germ. III. p. 95) accedant et credere maluerim Lutoldum ut multos alios itinere suscepto iam ex Italia rediisse.

Trium igitur de quibus diximus militum testimoniis quemque expeditionis nostrae hitoricum inprimis niti debere ab omnibus facile concedetur nec minus e relicua disputatione adparebit, quam uerum illud Plautinum sit:

„pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem."

Quodsi ad auritos quos Plautus uocat testes transimus, unus nominari potest, quem ipsum quidem cruce signatum paullo post captam Constantinopolim in Latini imperii finibus uersatum esse constat, Sicardus episcopus Cremonensis (mort. a. 1215). Is in „chronico"[3]) quae de expeditione a qua remotus esse uoluerat ex eis qui res uiderant conperit breui simplicique enarratione conprehendit, noui tamen fere nihil nobis suppeditat.

Huic tres scriptores adiungendi sunt eidemque clerici, qui ea quae expeditionis socii ipsis propositi, Conradus episcopus Halberstadensis[4]), Martinus abbas Parisiensis, Petrus abbas Vallium Sarnaii, de rebus effectis narrauerant literis mandauerunt.

1) Primo loco exhibet Ekkehardi chronicum secundo annales Herbipolenses (de quibus u. Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen p. 395) postremo non nulla de concilio quarto Lateranensi, quae cum chronico Montis Sereni (ed. Mader. p. 109, Mencken. II. p. 244, Eckstein. p. 102. progr. schol. Lat. Hal. a. 1844 uel ed. sing. a. 1856) consentiunt. — 2) P. 12. ubi de distributa praeda dicitur „marchas" pro „milia" edendum fuisse iam adnotaui l. a. p. 49. — 3) Ed. Murat. rer. Ital. script. VII. p. 521 sqq. Locus huc spectans iterum excussus est ap. Bouquet Rec. XIX. p. 247 sq. — 4) Conradus ex „illustri prosapia" (Krozuchiana) oriundus quum Philippi regis partes sectatus esset cruce suscepta Innocentii uindictam effugere uoluit (cf. Abel. l. a. p. 172). Ipse idem atque ille, quem de Pontificis Maximi iuuentute querentem Gualterus a Vogelweida aliquotiens inducit, uisus est I. O. Opelio (min guoter klôsenaere: in Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XIII. 1859. p. 868 sqq). —

Et Halberstadensis quidem chronici[1]) auctor latino qui ferri potest sermone ab episcopo tradita exponit. Huius in Italiam itinere descripto res apud Venetos et Iaderam gestas rationes quae cruce signatis cum pontifice maximo et cum Alexio Philippi regis adfine intercesserunt classis aduersus Constantinopolim uectae uiam persequitur. Relicua perpaucis uerbis conprehendit, „quoniam specialem requirunt tractatum." Ceterum Conradus postea iter in terram sanctam suscepit, unde in Italiam Germaniamque rediit si quid uideo una cum Martino abbate: utriusque enim nauem „in uigilia pentecostes" a. 1205 ad Venetorum portum aduectam esse audimus (chron. Halberst. p. 75 ed. Schatz. Gunth. hist. Constantinopolit. c. XXIII. p. 20 ed. Basn.). Conradus „III. Cal. April. nauem conscendisse", Martinus „feria tertia ante Palmas nauigationis cursum adgressus" esse dicitur; fuit autem dies Palmarum illo anno a. d. III. Non. April.

Ex Martini ore ea quae „historia Constantinopolitana"[2]) contineantur a se percepta esse profitetur (c. I.) Guntherus monasterii Parisiensis[3]) monachus. „Nostrae" inquit „narrationis pagina nil prorsus falsum uel ambiguum continebit, sed ueram ac certam rerum gestarum seriem persequetur." Sed quum multus in eo sit, ut abbatem suum laudibus efferat, eoque perueniat, ut Turonensi illi Martino parem esse autumet, non potest fieri, quin a ueri certique finibus aliquantulum recedere uideatur. Qui ubi de „sancto praedone" loquitur (c. XIX.) nemo uerba mirabitur, quibus facinus illius uiri „sacratas manus ad rapinam extendere" coacti obumbrare studet. Alia apud eum satis accurate exposita reperies Guntherique opus ideo ad auctores quorum primo loco ratio habenda est tanquam supplementum accedit haud aspernandum.

Tertium Petrum Sarnensem[4]) monachum esse diximus qui apud hominem expeditionis participem degerit, Guidonem illo tempore abbatem Vallis Sarnaii postea episcopum Carcasonensem Albigensibus iniquissimum. Cuius partes ubi respicit narrat eum usque ad Iaderam exercitum cruce signatorum comitatum cum aliis quibusdam propter ea quae Innocentius iussisset abiisse: Veneti abbatem pontificis maximi litteras recitantem occisuri fuisse et a comite Montis Fortis impediti esse, narrantur. Haec uberius nec sine alacritate quadam scriptor tradit, amplius uero nihil habet quod nostram rem adtingat.

Jam ad gallicam relationem transgredior non illam quidem singulatim de hac sacra expeditione aut ab homine qui adfuisset conpositam, ampliorem certe et de cuius auctore ac

1) Chron. Halberstadense s. chron. eccles. Halberstad. s. Annales Halberstadenses ab a. 780—1209, e bibl. gymnas. Halberst. cod. ed. Leibnitius, Accessiones historicae II. (Hannov. 1698) p. 110 sqq. et G. Schatz. progr. gymn. Halberst. 1839. 4. — 2) Ed. Canisius lect. ant. Monachi 1604. 4. T. V. p. 385 sqq. J. Basnage. Antuerp. 1725. IV. p. sqq. Cf. Petit-Radel, H. l. G. XVII. p. 287. sqq. — 3) Hugo, sacrae antiquit. monum. T. II. (1731) p. 268: „Ad radices montium Vosegi Alsatiam diuidentium a Lotharingia fauces inter sinuosas uisitur celebre ordinis Cisteriensis coenobium, uulgo Pairis nuncupatum." — 4) Ed. Nicol. Camuzat. Trecis. 1615. ib. 1617ap. Duchesn. script. hist. Franc. V. p. 554 sqq. Tissier. bibl. Cisterc. VII. p. l. sqq. Bouquet. XIX. p. l. sqq. (Migne, patrolog. curs. compl. t. CCXIII).

conditione breui exponere mihi quidem difficillimum esse iudicem, quum et meum ipsius iudicium a uiris doctis qui eam nuper ediderunt (Recueil des historiens des croisades publié par les soins de l'académie des inscriptions et des belles-lettres. Historiens occidentaux. T. II. Paris. 1859. fol.) longe differat neque mea aut alius opera ad modum certa demonstrata esse uideam. Quippe multi libri manu scripti eadem continent quae de quarta sacra expeditione enarrata Buchonius (Recherches historiques sur la principauté française de Morée et ses hautes baronnies. T. I. Paris. 1845. 8. app. I. p. 479—505) ex cod. Paris. bibl. imp. 7188⁵ (de cod. cf. Paulin. Paris les manusc. franç. VI. p. 157 sqq.) in luce posuit siue ad uerbum transcripta siue leuioribus tantum in rebus inmutata. Plerisque quidem in codicibus ea quibus interposita sunt gallicam Guilelmi Tyrii uersionem excipiunt: sunt tamen quae exempla separatam ab illa singularemque rerum transmarinarum expositionem praebeant uberiori uerborum copia res quae inde a Salahadini Hierosolyma expugnaturi ingressu usque ad Friderici II. in terram sanctam iter gestae sunt conplectentem. Quorum quidem codicum duo, ille qui Buchonio in manus uenit et Bernensis H. 41., Arnoldum (Hernoul) Baliani ab Ibelino armigerum auctorem distinctis uerbis produnt. Hunc autem post Beugnotum qui nomen detexit (cf. Rec. des hist. des crois. T. I. praef. p. XXII) uere scriptorem esse Mas-Latrie pluribus euicit (Bibliothèque de l'école des chartes. 5. sér. t. I. 1859. p. 51 sqq.) neque unquam quisquam ex suo hoc loco remouebit. Verum enim uero id quaeri potest, utrum Arnoldo tota quam uno tenore uterque codex praebet rerum series debeatur an sola prior pars ad a. 1197 perducta adtribuenda esse uideatur. Id quod quum ipse (l. a. p. 73) suspicatus sum tum ante me uiri grauiores Paulinus Paris et Mas-Latrie [1]) senserunt. Ut autem nunc res sese habent, certi aliquid statuere vix ausim neque quemquam ausurum esse confido, nisi integra alterius utrius libri manu scripti uerba conparare antea licuerit. Hoc igitur loco satius erit de ipsa expeditionis enarratione disserere. Est autem de eis qui desertis Venetis ac maiore exercitus parte terram sanctam adsecuti sunt omnium amplissima [2]) plurimique facienda quia auctor illis in regionibus uersatus facilius quam alii uera conperiri poterat et conperit. Sed etiam ea quae apud Constantinopolim effecta sunt satis accurate et recte pleraque tradit iamque in non nullis in quibus errasse uisus est defendi potest. Quod enim nouissimi editores diem quo urbs iterum capta est male de-

---

1) Is (l. a. p. 55.) gallici huius scriptoris mentionem ante a. 1218 uel certe a. 1223 factam repperisse sibi uisus est in Radulphi Coggeshalensis uerbis (Ampl. collect. ed. Marten. et Durand. t. V. col. 577) „Si quis plenius scire desiderat, legat librum, quem dominis prior Sanctae Trinitatis de Londoniis ex gallica lingua in latinum tam eleganti quam ueraci stilo transferri fecit." Nimirum nulla copiosior eorum ad quae Radulphus respicit expositio quam Arnoldi extat. Ceterum longe alia de libro illo suspicatus est R. Pauli. Gesch. v. Engl. III. p. 874 sq. — 2) Jacobus a Vitriaco (hist. orient. l. I. §. 100. p. 1124 ed. Bong.) res in terra sancta inde a Salahadini morte usque ad Joannis Brennensis comitis aduentum gestas breuissime perstringens nihil nisi Simonem comitem Montis Fortis una cum Guidone fratre et Flandrensis comitis uxore adplicasse illaque aetate indutias rupta esse conmemorat. —

finitum[1]) adnotauerunt, illa diei notitia non ad narrationis auctorem referenda est, sed ad interpolatorem quendam cuius liber codicum A et B ab illis excussorum fons fuit. Tum quod a Venetis legatos missos esse legimus (XXVII. 24. p. 245 ed. acad.) qui in Gallia cum nobilissimis uiris cruce signatis Corbolii conuenerint, Wilkenius miratus est (V. p. 122. adn. 22), quum Godefredus a Villa Harduini ea de re taceat. Sed hanc prorsus confirmat Robertus a Clariaco praeterquam quod naues a Venetis unum in annum non in biennium concessas esse ait. Similiter aliis quae apud Godefredum frustra quaesiueris aut Roberti aut Nicetae Choniatae auctoritatem adicere poteris. Quo pertinet, quod Veneti accusantur quippe qui praedam clam congesserint uiolato pacto quo omnes omnia in unum conportare iussi essent: Godefredus quo neminem Gallorum e numero illis magis fauisse contenderim nihil nisi alium alio plura rapuisse dicit (p. 103: „Li uns aporta bien et li autre mauuaisement"). Confusam temporum rationem esse infitias ire nequeo in eis quae de Murzuflo (XXVIII. 16. p. 269 sqq.) perhibentur, uelut post alium (XXVIII. 17. p. 271: intellegendus est Cannabus) electus esse dicitur; item scriptor Iudaeorum uicum prius incensum esse uult quam incensus est (XXVIII. 15. p. 267). Postea ubi de a. 1205 rebus ac sequentibus loquitur multo saepius errore ducitur, ut eum quum defuissent testes qui res uiderant satis habuisse in aperto sit ea literis mandare quae ex hoc uel illo audiuerat. Cuilibet enim eum aures praebuisse inde concluseris, quod lubentissime salsas narratiunculas intermiscere solet. Quum igitur locupletior editio praesto sit codicisque relicuis mea quidem sententia praeferendi specimen huc spectans Buchonius obtulerit, futurus expeditionis scriptor multo opinor saepius ac hanc gallicam relationem[2]) prouocabit quam alii et Wilkenius fecerunt.

---

1) XXVIII 17 p. 273 ed. acad. „Ensi fu prise la noble cité de Costantinople a VIII. iorz d'auril par un mardi, en l'an de l'incarnation de Nostre Seignor .MCCI." Captam esse urbem satis constat Lunae die, pridie Idus Apriles. MCCIV. Similia menda quae in libris A et B editionis academicae occurrunt enumeraui l. a. p. 45—50. 2) Arnoldi opus in manus deuenit Bernardi Thesaurarii qui a. 1232 praemissis quibusdam uerbis (Mas-Latrie l. a. p. 66. Recueil des hist. des crois. II. praef. p. V. e. Paulin. Paris in Hist. lit. Gall. XXI. p. 679 sqq.) integrum transcribendum curauit et de sequentis a. 1229 biennii rebus pauca adiecit. Eius operam duorum codicum (Bern. H. 340. Paris de l'Ars. 677) subscriptiones testantur („Cest conte de la terre d'outremer fist faire le tresorier Bernars de Sainte-Pierre de Corbie en l'Incarnation millesimo .CC. XXXII."). Bernardi autem ni fallor librum tanquam opportunissimum subsidium adhibuerunt ei qui gallicam Guilelmi Tyrii uersionem augere et amplificare instituerunt eiusque maxima pars multis in codicibus reperitur illam uersionem adiecta plerumque noua eorum quae post a. 1231 gesta sunt narratione continentibus (Mas-Latrie l. a. p. 140 sqq.). Sic magnum illud rerum transmarinarum corpus conflatum est, „Heraclii historia" (estoire de Eracles empereur), quam ex Parisiensis academiae instituto pretiosa editione promulgatam esse uidemus. Eiusdem historiae exemplo Balduinum Auennensem usum esse iam diximus: neque alienum ab ea est corpus Alphonsi X. regis iussu conpositum de quo supra pauca adnotaui. Etiam Marinus Sanutus Torsellus (cf. Kunstmann. Studien über M. S. den Aelteren. Act. acad. Monac. cl. III. t. VII. p. 697—817) transmarini huius operis codicem (similem A et B in ed. acad. adhibitis) nactus in „secretis fidelium crucis" ad „acquisitionis librum" prouocat (II. 2. 6. p. 44. „liber conquisitionis terrae sanctae" in epist. VI. a Kunstm. ed. p. 805 adfertur, similiter „il libro della conquista d'ottre mare" in hist. Rom. uers. Ital. fol. 25, cf. quae dixi l. a. p. 5.). Idem tamen Vincentium Bellouacensem consuluit neque librorum quorundam a Venetis conscriptorum usum neglexit (c. Wilken. VII. 2. p. 787 adn. 141.). Marini Sanuti opus quod a

Iam ad annalium uel chronicorum conpositores accedamus qui siue longius siue breuius in transitu tradiderunt. Vt autem rei consentaneum est, eo plures uniuscuiusque nationis scriptores supersunt quo plures cruce signati fuerunt: ac plurimi quidem ad bellum sacrum suscipiendum ea in regione moti sunt quae a ueteribus auctoribus Galliae Belgicae nomine nuncupatur. Huius prouinciae principem nobilissimum etiam imperatorem occupatae terrae electum esse nouimus: ex eadem postea cum noui imperii instaurati res male sese haberent huic multos auxilio uenisse constat. Denique ut praecipuus perpetuae quae Belgicae cum Constantinopolitano regno interfuit consuetudinis [1]) testis in scaenam prodeat Albericus monachus qui dicitur Trium Fontium [2]). Cuius quidem domicilium fuit Nouum Monasterium Hoiense in Leodiensi prouincia situm. De annalium quos ad a. 1241 perduxit quam accuratissime egit R. Wilmans (Pertz. Archiv. p. 174 — 246) ad cuius commentationem ablegare licet (cf. etiam hist. lit. Gall. XVIII. p. 279 — 292). De quarta expeditione sacra Alberico adfuit praeter Balduini de capta urbe literas „relatio" [3]) hominis qui ipse res spectasse uidetur quaedam noua promens neque indigna cui fides tribuatur. Quam transcribendo conpositor ita cum epistulae illius uerbis miscuit, ut diserte utramque distingueret (cf. Hopf. l. a. p. 47 sqq.).

Alberico aetate proximus est Philippus Muskesius (Mouskés) [4]) qui in chronico uersibus neque raro sermone uere epico conscripto [5]) res quae in Flandria potissimum et Gallia usque ad a. 1242 acciderunt enarrauit singularemque sacrarum expeditionum et imperii Constantinopolitani habuit rationem. Inter eius fontes „magna Galliae chronica" fuisse satis ex

1313 editum esse Kunstmannus recte censet, inspexit decerpsitque Jordanus ordinis minorum frater, cuius e chronico (duce cod. Vatic. 1960) Raynaldus (annal. eccles. t. XX—XXIV. ed. Lucc.), Muratorius (antiq. Ital. m. aeui IV. col. 949 sqq.), Mas-Latrie (hist. de l'ile de Chypre. II. p. 130—132) non nulla suppeditant. Simul etiam transmarini corporis exemplum (conspirans cum cod. G. ed. acad.) et Vincentium Bellouacensem contulit. Ex Jordani libro multa Andreas Dandulus transcripsit de quo infra seorsim dicetur. Bernardi porro Thesaurarii opus centum fere annis postquam conscriptum est Pipinus Bononiensis frater et acciuit quum chronicum (ap. Murat. rer. Ital. script. IX. col. 681 sqq.) scripsit et paene ad uerbum uertit in „historia de acquisitione terrae sanctae" (ib. VII. col. 657 sqq.). Haud secus atque Marinus Sanutus et Jordanus Vincentii speculum in subsidium uocauit (cf. Mas-Latrie bibl. de l'éc. des chartes l. a. p. 61, 145 sqq. et quae ipse disserui l. a. p. 9 sqq. 40 sqq.). De extremi medii aeui scriptore apud quem Bernardi mentio fit utpote Fridericum II. comitati Boiardo Ricobaldi Ferrariensis interprete loqui supersedemus et aetate istius et leuitate respecta.

1) Cf. Reiner. annal. Leodiens. Pertz. M. G. h. XVI. p. 657. ad annum 1204 „quae facta sunt hoc anno in Graecia scribo futuris quod notissimum est et praesentibus et nobis." — 2) Ed. e cod. Hannouer. (de quo cf. Waitz. Arch. XI. p. 354.) Leibnitius, Accession. hist. t. II. Lips. 1698. 4. (Bouquet, Rec. XVIII. p. 763 sqq.). — 3) Alter editor (p. 767) relationem eam esse censet quae a Ducangio (ad Vill. Hard. § 6 et 97) conmemoretur scripta „occasione reliquiarum quas e Constantinopoli attulit a. 1205 Neuelo Suessionensis episcopus, nunc deperdita." De Balduini interitu (p. 400 L. p. 770 R.) Albericus narrat, „quod a quodam presbytero Flandrensi dicitur qui per ciuitatem Tornoam de Constantinopoli repatriando iter habuit." — 4) De eius persona post Moitierum (Bulletin de la Commiss. roy. d'hist. T. IX. p. 112 sqq.) Reiffenberg. (in edit. supplement. Brux. 1845. 4.) accurate egit: qua de re Potthastum uehementer miror, qui nuperrime Philippum sicut antea statuerant episcopum Tornacensem vocauit. — 5) Ad quartam expeditionem quae spectant ed. Ducangius (ad Vill. Hard. Paris. 1657.) et Buchon. (Coll. des chron nation. III. p. 339 sqq.): integrum opus Reiffenberg. (Collect. de chron. Belg. II. IV. Brux. 1836. 1837. 4.) promulgauit. —

ipsius uerbis (cf. uers. 27680) adparet. Ad nostram caussam quod pertinet nemo mirabitur quod Balduino primas in rebus gerendis partes tribuit huncque Alexio in cuius casu exponendo admodum longus est regnum recuperauisse dicit. Vniuersa igitur rerum specie sic peruersa etiam in singulis non uno aliquo errore ducitur: uelut Theobaldum Campaniae comitem Constantinopolim peruenisse uult (uers. 20445).

Jam Vincentius Bellouacensis (mort. a. 1264) et Balduinus Auennensis (mort. a. 1289) sequuntur: quum uero de hoc supra sermo fuerit, de illo paullo post dicendum sit, nunc ad uirum quendam doctum inque conlegendis auctoribus Belgicae ac finitimarum regionum diligentissimum transeamus quem utroque usum esse facile liquet. Is est Jacobus de Guisia[1]) de cuius fontibus bene exposuit R. Wilmans (Archiv. IX. p. 292 sqq.). Vincentio cuius speculum conferre possumus l. XIX cap. 14—19. 20 init. ut ipse indicat debet: ex Balduino ea quae c. 20 extr. et 21 leguntur ac pleraque nomina hausit quae in indice cruce signatorum reperiuntur (cap. 11.) copiosiore[2]) tamen quam quem Godefredus de Villa Harduini exhibet. Hannonienses enim maximam partem et Flandrenses fere uiginti enumerat a nullo alio auctore conmemoratos quorum simul cum tribus aliis nomina in „tractatulo fundationis conuentus Beati Francisci Valencensis" (cf. XX. 77) occurrisse in aperto est. Etiam plura ipse in „libro uitae" inueniri ait (c. 11. extr.): qui qualis fuerit haud liquet, nisi ob ea quae ad Balduini imperatoris uitam pertinent (cf. XIX. 5.) ad Auennensis opus uolueris referre. Porro fortasse Vincentii fontem ipsum, Balduini epistulam (Henrici certe nouit: XX. 1 et 47) adiit: ablegat denique (XX. 1.) ad „gesta dictorum imperatorum Balduini atque Henrici a Venetiis confecta, ubi amborum laudes solemniter extolluntur", quibus de commentariis hucusque nihil constat.

Cum Jacobo conparati reliqui scriptores ex eadem regione oriundi parui aestimabuntur. Velut Joannes Iperius (mort. a. 1383) qui chronico Sythiensi siue Bertini[3]) operam nauauit singularia nulla habet nisi quod Balduinum a. 1202 mense Aprili Brugis „peram et baculum" assumpsisse testatur. Joanni omnino dissimilis est chronici Flandrensis (a. 792—1428)[4]) conpositor: singularia multa plura lepide picta ficta aperte plurima. Cuius auctoris de auctoritate et fontibus si prorsus tacuerimus, neminem offendemus.

Ex reliquae Galliae scriptoribus expeditioni proximus est Rigordus illustris Philippi Augusti historicus (de eo cf. hist. l. G. XVII. 5. 20.)[5]). Huic ut ceteris Gallicis annalium conpositoribus fere unicus fons Balduini fuit illa epistula, sicut Rigordus ipse significat (Bouquet,

1) Annales Hannoniae s. chronica illustrium principum Hannoniae ab initio rerum usque ad a. Chr. 1390. Par les soins du marquis de Fortia d'Urban ed. Guérard. Paris. 1826—1837. 8. — 2) Hanc ob rem repetitus est in Rec. XVIII p. 800. — 3) Ed. in Rec. XVIII. p. 593 sqq.: quae ad nostram rem pertinent (p. 601) transcripserunt Taf. et Thom. III. p. 458. — 4) Ed. de Smet, Coll. de Chron. Belges inéd. Rec. des Chron. de Flandre I. 1837. (unde Taf. et Thom. I. p. 293 sqq.). — 5) Ed. Pithoeus, hist. Franc. scr. uet. XI. p. 158 sqq. Duchesn. scr. hist. Franc. V. p. 3—47. Bouquet, Rec. XVII. p. 1—62.

Rec. XVII. p. 56). Quae non his ex literis sumpsit macra et peruersa sunt, uelut ea quae de Alexii pueri nece leguntur [1]).

Ex hominibus qui expeditioni interfuerunt audiuit Robertus Altissiodorensis [2]) quae in „chronologico" [3]) satis apte cum Balduini literis coniunxit. Huius uirtus in definiendis accurate diebus constat uelut classem VI. Cal. Jul. ad Constantinopolim adplicasse urbisque obsessionem VI. Id. Jul. incepisse ait (cf. Wilken. V. p. 226. adn. 79).

Rigordum et Robertum Vincentius Bellouacensis (mort. a. 1264) acciuit quum „speculum historiale" [4]) conponendum curauit: praeterea adhibuit Balduini epistulam. Vincentii opere postea permulti usi sunt, quorum de numero Pipini Bononiensis Jacobi de Guisia aliorum supra mentionem fecimus.

His Gallis adscribimus Anglum quendam, Radulphum Coggeshalensem (inde ab a. 1207) abbatem. Qui quum ipse terram sanctam uisitauisset deque superioribus bellis sacris singulatim [5]) exposuisset, quartae in „chronico Anglicano" [6]) ratione habita ex Balduini et Hugonis comitis Sancti Pauli eisque quae „redeuntes" tradiderunt, relationem conscripsit fide haud indignam.

Jam ad Germaniam transeundum est, quae quidem manum fortium militum aduersus Christianae fidei hostes emisit. Eorum qui ex expeditione reuerterant enarrationes animos fortasse magis mouissent quam factum est, nisi illis temporibus Germaniae principes ac ciues ipsi intestino tumultu occupati fuissent.

Aetate expeditioni proximus est Otto de Sancto Blasio [7]) qui de Fulcone [8]) nec pauca neque ingrata nobis offert, „sicut Bertoldus de Osinberg Henrico de Veringin custodi Argentinensis Ecclesiae postea eiusdem Ecclesiae Episcopo transcripsit qui his interfuit" (col.

---

1) Ex Rigordo ut facile intelleges pendent Guilelmus Brito siue Aremoricus (de eo h. l. G. XVII. 336—356) cuius de expeditione breuissima est explanatio (hist. de uita et gestis Phil. Aug. ap. Bouquet, XVII. p. 76. et gallicus Rigordi interpres (Chroniques de S. Denis, in Rec. XVII. p. 389 sq.) qui non discrepat nisi ubi haec habet: „Les François acquita tot maintenant de .XXX. mille mars d'argent que il deuoient aux Venisiens" (Rigordus „Francos" inquit „sine mora a debitis Venetorum liberat, pretium uero nauium integerrime soluit"). Gallicis illis commentariis quaenam cum Guilelmo Nangiaco (ap. Dacher. Spicileg. noua ed. Paris. 1723. Bouquet, Rec. XX. p. 750 sqq. Taf. et Thom. III. p. 453 sq.) intercedat ratio nondum satis accurate exploratum est: multis quidem illorum conpositor Guilelmus fuisse uidetur (ipse ad a. 1203 de XXX milibus marcarum loquitur). Neque igitur mirum est quod monachi huius S. Dionysii chronicum (ad a. 1300 perductum) Rigordo consimilia praebet: plura tamen insunt quae neque apud hunc neque apud Vincentium Bellouacensem leguntur. Guilelmo Roberti Altissiodorensis exemplar praesto fuisse uisum est Taf. et Thom. l. a. — 2) De eo uid. hist. l. G. XVI. p. 256 sqq. — 3) Vsque ad a. 1211 perducta: cf. de cod. Treuer. Archiv. XI p. 347 sq. Ed. Paris. 1608. 4. Camuzaeus. Trecis. 1609. 4. (ibid. 1698. 4) ap. Bouquet, Rec. XVIII. p. 265 sqq. (unde Taf. et Thom. XIV. p. 455). — 4) Libellus de expugnatione terrae sanctae per Salahadinum ed. ap. Mart. et Durand. ampl. coll. V. p. 547—592. — 5) Ed. Mart. et Durand. ampl. coll. V. p. 801 sqq. (Bouquet, Rec. XVIII. p. 97. Taf. et Thom. III. p. 452 sq.) — 6) Editiones enumerauit Potthast. l. a. p. 564. — 7) Editiones uid. ap. Potthast. l. a. p. 477. — 8) Hoc loco elogium Fulconis conmemorare iuuat conpositum a Ioanne de Flissicuria Corbeiensis ad Somonam monasterii monacho (circ. a. 1280) ed. ap. Mabillon. Acta Sanct. ord. S. Bened. saec. IV. p. I. p. 574 (unde Bouquet, Rec. XVIII. p. 800).

905 ed. Murat.). Quo melius meruit quum haec seruauerit, eo grauius est ferendum, quod de itinere „per Graeciam" directo rebusque postea effectis omnino peruersa literis consignauit neque eis quibus potuit testibus usus est. Nam uicinum proximum habuit Martinum Parisiensem, quem ipse (col. 906) reliquiis translatis totam Germaniam cum Alsatia admodum nobilitauisse dicit.[1])

Restat ut pauca de Burchardi Urspergensis propositi (mort. a. 1226) commentariis[2]) adicienda esse uideantnr. Is de sacris bellis accurate egit: de primo Ekkehardus usurpatus est, deinde accita „breuis historia occupationis et amissionis terrae sanctae", tum de Damiatina expeditione adsumpta „scripta cuiusdam eas pugnas prolixius describentis", de quarta denique ab illo Martinum abbatem aditum esse coniecit O. Abelius[3]), quum scriptor sese reliquias Parisiensis monasterii uidisse dicat. Si re uera Martinum adiit, dolendum est quod non diligentius ex eo quaesiuit. Namque exceptis paucis quae de Alexio puero leguntur in Sueuia sine dubio pernota nulla reperies quae morari quemquam possint.

Ad Venetos ut iam accedamus, primo loco dicendum est de Altinate quod fertur chronico[4]): quae mira farago ea ni fallor potissimum exhibet quae apud Venetos aliquot decenniis post captam Constantinopolim circumferebantur conscripta sermone inculto horrido barbaro. Narratio igitur simplicissima est neque tamen fide caret.

Quacum si scriptorem conparauerimus, qui ab expeditionis tempore duplo remotior est, Martinum de Canale[5]), huius opus historicum quo salsiore oratione conscriptum[6]) est eo maiore fabularum copia abundat, neque aliud ille mihi testificari uidetur nisi qualis ab aequalibus rerum aduersus Graecos gloriose gestarum sua aetate conseruaretur memoria. Sunt tamen quae neglegi non possint: quo inprimis pertinet, quod pactionem illam de diuidendo imperio factam tradidit (p. 340—344) nec raro ei suppeditat qui nomina in ipsis exemplis latine scriptis quodam modo obliterata cognoscere studet.

---

1) Paucis annis post in extrema Germaniae parte Arnoldus Lubecensis Helmoldi chronicum excepit. Qui quum singulari relatione prorsus careret, nihil nisi duas epistulas transcripsit, alteram de expugnata Constantinopoli a principibus ad Ottonem IV. datam, de urbe iterum capta a Balduino scriptam alteram. Neque pluribus opus est de annalibus Coloniensibus maximis Godefredi qui ferebantur monachi S. Pantaleonis, in quibus „epistola quam Comes de S. Pauli duci Brabantiae misit" (Freher. scr. r. G. ed. Str. I. p. 368 sqq. Pertz. XVII. p. 812 sqq.) et „epistola quam Balduinus Flandrensis comes Adolpho Coloniensi Archiepiscopo transmisit" (Freh. p. 371 sqq. Pertz. p. 815 sqq. uid. Gesta Innoc. VI. 91. Rayn. ad a. 1204. Brequign. VII. p. 152. Rec. XVIII. p. 524). — 2) De editionibus cf. Potthast. l. a. p. 177. De Burchardo eiusque fontibus uid. O. Abel. Archiv. XI. p. 76 sqq. Wattenbach. l. a. p. 414—416. — 3) L. a. p. 103. — 4) Ed. Anton. Rossi. Archiv. stor. Ital. VIII. p. 1 sqq. et Append. XIX. p. 1 sqq. (Florent. 1845. 1847. 8.). Editor in codicis Dresdensis uerbis (ed. alt. p. 56): „Comitem uero Flandrie Baldoynum imperatorem fecerunt, qui ablachis occisus est" perperam scripsit „a Bulcharis": legere debebat „a Blachis." 5) Ed. Phil. Polydor. in Archiv. stor. Ital. VIII. Flor. 1845. — Auctor qui non Venetus sed peregrinus fuit loco satis noto (p. 268) ipse dicit sese annales Latino sermone scriptos in gallicum uertisse („por ce que lengue franceise cort parmi le monde et est la plus delitable a lire et a oir que nule autre"). — 6) Em. Cicogna (ed. praef. p. XXX.): „Bisogna" inquit „confessare che alcune fiate egli é piu oratore che storico; e quindi talune delle circonstanze colle quali abbelisce il fatto, ponno essere parto della sua eloquenza."

Haec exempla Andreas Dandulus Venetorum dux [1]) (mort. a 1354) inspexit nobisque in „chronico Veneto" [2]) seruauit. Itaque quamquam centum quinquaginta annis post expeditionem scripsit ex Venetis auctoribus longe optima praestat. Praeter illa monumenta gallicam de qua egimus rerum transmarinarum narrationem Jordanique opus ante oculos habebat.

De rebus apud Jaderam gestis similia quaedam auctor aetate multo maior exhibet, Thomas Spalatensis archidiaconus [3]) (mort. a. 1268), ita ut non absonum esse uideatur, si huius opus aut alii nescio cui a Dandulo adhibito aut Dandulo ipsi in manus uenisse conieceris. Francorum ducem Thomas Simonem comitem de Monte Forti fuisse dicit quem quidem exercitu apud Jaderam relicto seorsim castra posuisse et cum illius regionis incolis conuenisse constat.

Relicuum esse uidetur, ut de altera scriptorum parte, Graecis eisque qui ab his stant, breuissime quoad eius fieri potest dicamus. Inter quos unus omnium est grauissimus Nicetas Acominatus Choniates (mort. a. 1216) [4]), qui quum res ipse spectauit tum narratione haud breui pinxit [5]). Veritatem ipse sibi magis amicam esse testatur amicis (p. 526 ed. Bonn.) atque ueracem eum fuisse et optima quaeque tradere studuisse facile concedemus. Quo accedit quod locorum peritissimus fuit et quae ipsa in urbe acciderunt melius cognouit quam ei qui extra muros castra posuerant. Ut autem primario cruce signatorum auctori aequari posse uideatur tantum abest ut illum ab hoc longe superari censeamus. Tanta enim utriusque in dicendi genere est discrepantia, ut Godefredi relatio nunquam desinat delectare Nicetae non raro taedium adferre incipiat: huius oratio tumida saepissime crebrisque et ineptis exclamationibus ingrata, scriptor rei publicae priuataeque detrimentis concussus et fere exanimatus, hi cruciatus uoce flebili uiroque indigna expressi. Qua ex mole res ipsas enucleare etsi poteris, tamen non sine molestia poteris. De posterioribus imperii Constantinopolitani historicis satis est conmemorare Georgium Acropolitam [6]) (mort. a. 1282) auctorem fide non indignum qui tamen ipsius quartae expeditionis historiam a qua exorsus est paucis absoluit atque recentioris temporis scriptorem Nicephorum Gregoram [7]) (mort. a. 1359) quem facile praetermittere possumus quoniam eius auctoritas fere nulla est.

E fontibus Graecis Russici annalium scriptores pendent: omnes fere eadem habent quae in Nouogrodensi chronico [8]) leguntur, querelarum de iniuriis a militibus cruce signatis inlatis plena. Insunt tamen nonnulla quae satis demonstrant communem omnium auctorem locorum rerumque scientia non caruisse.

---

1) De eo accuratissime egerunt Tafelius et Thomas, Der Doge Andreas Dandolo und die von ihm angelegten Urkundensammlungen zur Staats- und Handelsgeschichte Venedigs. Act. acad. Monac. cl. III. t. VIII. 1. 1855. — 2) Ed. Murat. rer. Ital. script. XII. p. 13 sqq. — 3) Ed. J. Lucius, De regno Dalmatiae. Amstelod. 1666. p. 310 sqq. Schwandtner, scr. Hung. III. p. 532 sqq. Farlati, Illyricum sacrum. V. p. 1 sqq. Locum huc spectantem praebent etiam Taf. et Thom. font. rer. Austriac. XII. [I] p. 420. — 4) De eo conferri potest Hopf. I. a. p. 66. — 5) Editiones enumeratas uid. ap. Potthast. l. a. p. 465. — 6) De editionibus cf. Potthast l. a. p. 332. — 7) Cf. Hopf. l. a. p. 68. Editiones enumerat Potthast. l. a. p. 464. — 8) Cf. de eo Hopf. l. a. p. 38. —

Exoptatissima denique hominis neutri parti addicti nobis occurrit relatio, Ibn-el-Athiri[1]) (mort. a. 1233). Is enim quum reliquos aetatis suae scriptores Arabicos in aliis superat tum de quarta expeditione sacra multo illis copiosior et admodum dignus est qui respiciatur[2]). Ut pauca certe adferam Graecos ab Iconiensi soldano auxilium rogauisse confirmat: urbem a Francis direptam esse non minus quam Graeci[3]) testatur, addidit tamen non nulla quae fama diuolgata erant, uelut Constantinopolim primo expugnatam esse dici portis ab eis qui Alexio puero fauissent apertis: temporum rationem habuit mensibus quibus quaeque facta sunt definitis.

1) De hoc auctore exposuit G. Fluegel. in Ersch. et Gruber. encyclop. s. I. t. XV. (Lips. 1838. 8.). — 2) Integrum „chronicum quod perfectissimum inscribitur" ed. C. I. Tornberg. Vpsal. 1853. 8. Vnde locum huc spectantem in italicum Hopf. (gaz. uffiz. di Venezia: 1856. num. 224.) in latinum Taf. et Thom. (III. p. 459 sqq.) uerterunt. 3) Qualia Franci Constantinopoli capta in urbe fecerint, exponitur in libello Henrico imperatori a supplicibus Graecis tradito (ap. Coteler. eccles. Graec. monum. l. III. p. 510—514), de quo conferri potest Heyd. in Niedner. Zeitschr. für die historische Theologie. 1856. p. 318 sq. —